

## OREMUS.

**D**OMINE Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te obnixis precibus deprecamur, ut has vestes bene ✕ dicere, et sancti ✕ dicare digneris, quas famulæ tuæ pro indicio cognoscendæ religionis induere se volunt; ut inter reliquas feminas tibi cognoscantur dicatæ. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

## OREMUS.

**E**XAUDI, omnipotens Deus, preces nostras; et has vestes, quas famulæ tuæ ad seipsas operiendas exposcunt, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron benedictione unguenti, profluentis à capite in barbam; et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eas bene ✕ dicere, et sancti ✕ dicare digneris: ac præsta, clementissime Pater, ut supradictis famulabus tuis sint hæ vestes salutis protectio, hæ cognitio religionis, hæ initium sanctitatis, hæ contra omnia tela inimici robusta defensio, ut centesimi muneris opulentia, perseverante continentia, ditentur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

L'Officiant asperge d'eau bénite les Habits; puis il se retourne et s'assied.

Cependant les Postulantes, après avoir remis leurs cierges à la Sœur chargée de les recueillir, s'avancent deux à deux vers l'Officiant, pour recevoir de lui, l'une après l'autre, leur saint